



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXIX. Aliæ hujus sententiæ probationes afferuntur, & elucidantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

cap. 18. ubi refert esse definitum in Concil. Claramont. sub Urbano II. & supponi à Trident. *sess. 6. can. 23.* dum asserit Beatam Virginem vitasse omnia peccata venialia; & hanc immunitatem referunt omnes in altissimam Matris Dei dignitatem, sic *D. Aug. lib. de Natur. & grat. cap. 36. D. Thom. 3. part. quest. 27. art. 4. D. Anselm. de Excellent. Virgin. D. Bonavent. in Specul. cap. 12. D. Bernard. serm. 1. super Missus, D. Cyprian. orat. de Christi Nativitat. D. Petr. Damian. in Cant. 4. D. Idelphons. lib. de Parturit. Virg. P. Soar. cit. & alii;* sed ex hoc satis colligitur majorē esse oppositionem moralem Maternitatis Dei cum peccato, quā gratiæ habitualis; ergo sicut hæc, ita & illa est sanctificans Virginem.

597. Confirmatur, quia constans Patrum, & Theologorum sententia docet in Virgine fuisse extinctum omnem fomitem peccati, ut cum *D. Thom. 3. p. quest. 27. art. 3. & aliis adductis tenet P. Soar. tomo 2. in 3. p. d. 4. scilicet. 5.* quatenus ferē omnibus valdē indecorum, ac turpe visum est, Dei Matrem aliquid habere, quod licet in re peccatum non esset, illam tamen aliquo modo ad peccatum alliceret; ergo longē turpius, ac deformius censebant consortium cum actuali peccato ex natura rei fateri; ergo nulla ratione in mentem cadere potest, si res morali estimatione pensetur, posse Maternitatis Dei excellentiam sociam esse peccati; consequenterque alienam ab ea esse omnem repugnantiam moralem cum illo, sicut illam cum ipso peccato habet gratia habitualis.

SECTIO XXIX.

Alia hujus sententiæ probationes afferuntur, & elucidantur.

598. **P**ROBATUR septimò ex participatione Deitatis, quæ propria est gratiæ sanctificantis; quia participatio Deitatis gratiæ sanctificantis propria, consistit in eo, quod sit radix omnium virtutum, & operationum moralium supernaturalium, id est, quod gratia habitualis constituat statum, cui debeantur principia supernaturalia actionum moralium supernaturalium; sed hujusmodi est dignitas Maternitatis Dei; siquidem constituit statum permanentem supernaturalem vendicantem suapte conditione talis status & dignitatis proprias, ad quas necessariò postulat principia supernaturalia permanentia; status enim vendicans actiones supernaturales, simul etiam vendicat principia permanentia ad illas eliciendas; ergo dignitas Maternitatis Dei est particeps deitatis, sicut & gratia habitualis.

599. Probatur minor, quæ sola indiget probatione, quia in primis Maternitas Dei non est transiens, sed permanens, ut est amicitia, & filiatio adoptiva Dei, ut per se constat; siquidem transeunte actuali filii generatione, permanent in parente officia incumbendi in educationem, sustentationem, & alia filii bona. Rursus est dignitas supernaturalis, utpotè ad altissimum ordinem Unionis Hypostaticæ pertinet supra omnem naturæ exigentiam, & connexionem. Deinde plures actiones honestas sibi vendicat; siquidem jure naturæ ei incumbit diligere Filium Dei, ei credere, ab eo sperare, eum colere alios in ejus obsequium provocare, nihil tanto Filio odiosum agere, & ita se gerere, qualem decet tantam Matrem. Tandem tales actiones debent

esse supernaturales; siquidem debent esse propriæ status, quem constituit talis dignitas; hic autem status est supernaturalis, cum ipsa dignitas supernaturalis sit; ergo &c.

Dicent 1. Participationem Divinæ Naturæ propriam sanctitatis revocari in radicem Visionis beatæ; hujus autem non est radix Maternitas Dei. Sed contra primò, quia plures docent, cum radicis conceptum non esse formale sanctitatis constitutum; sed quem supra diximus, nempe esse radicem actionum moralium supernaturalium. Secundò, quia, ut ex infra dicendis patebit, Maternitas Dei inducit eandem condignitatem, quæ jus ad gloriam, quod est proprium gratiæ habitualis.

Dicent 2. Maternitatem Dei non esse radicem physicam habituum, & actuum supernaturalium. Sed contra, quia id non exigitur ad conceptum sanctitatis; sufficit enim in ea ex natura rei, & debito naturali radicari, seu derivari ab eâ principia habitualia, & actualia actionum moralium supernaturalium; siquidem plures Theologorum etiam negant gratiæ habituali emanationem physicam virtutum; & Unioni Hypostaticæ influxum physicum in gratiam habitualem, & virtutes infusas. Et ratio est, quia participatio deitatis, sanctitatis propria, non est aliud, quàm formalis similitudo, & convenientia sanctitatis cum Naturâ divinâ, & differentia ab omni alio, quod sanctitas non est; sed ad hoc sufficit exigentia principiorum supernaturalium absque physica efficientia radicis exigentis illa; ergo &c.

Confirmatur supra tradita probatio, quia Sancti Patres Matris Dei prerogativæ tribuunt deificationem, propinquitatem, similitudinem, imaginem, proximam conjunctionem cum Deo, nec non aliquam divinitatem, ut tribuunt *D. Dionys. D. Aug. D. Anastas. Synaita, D. Bernardus, D. Anselm. Eucher. Idiota, Guarr. Arnold. & Richard. de S. Laurent. ubi supra;* sed gratia habitualis dicitur à Theologis particeps divinitatis, solum quia sacre Litteræ, & Ecclesiæ Patres eas ipsi condiciones tribuunt; ergo cum de Maternitate Dei eodem modo loquantur, arguendum est, pariter illi deitatis participationem tribuere, & arrogare.

Probatur octavo ex mutuo amore benevolentiae, & amicitia cum Deo, qui est proprius dignitatis, sive gratiæ sanctificantis; quia proprium, & singulare dignitatis sanctificantis est, ferre mutuum benevolentiae amorem inter hominem, & Deum; sicque solâ gratiâ sanctificante homines constituuntur amici Dei; sed dignitas Matris Dei secum fert hunc mutuum benevolentiae amorem inter Matrem, & Filium Deum, ut ipso naturæ lumine, & experimento perspicuum videtur; siquidem nihil magis notum, & experimento constantius est, quàm amoris vinculum, quo unâ cum carne animi parentum, & filiorum mutuo vincuntur, seque omnibus aliis extraneis amicis, affectu honestissimo, & insitâ naturæ propensione mutuo præferunt; hic autem animorum nexus naturâ ingenuus, & honestissimus desiderari non potuit inter Matrem Dei, & unicum ejus Filium Deum: imò arctior fuit, quàm inter alios parentes, & filios; tum quia utriusque dignitas excellentior fuit; tum etiam quia major fuit debiti naturalis ratio, quatenus Filius adæquatè absque viri semine totam suæ Matri substantiam debuit; ergo dignitas Matris Dei fuit sanctificans, sicut talis est gratia habitualis.

Confirmatur primò auctoritate SS. Patrum, qui hunc mutuum Christi, & Virginis amorem titulo Maternitatis, & Filiationis conceptum, possim esse-

runt, ac extollunt, ut videre est apud *D. Bonavent. in Speculo, cap. 6. cum D. Aug. & D. Bernard. Richard. de S. Laur. lib. 4. tit. Maria dilectio. Clemen. Alex. lib. 1. Pedag. cap. 3. D. Greg. Nyssen. hom. 4. in Cant. 2. D. Method. orat. de Virgin. D. Anselm. lib. de Excellent. Virg. cap. 4. D. Greg. Thaumaturg. D. Basil. de Seleuc. orat. 30. D. Petr. Damian. serm. 11. & alios; ergo cum tantum Dei amorem in Virginem, & Virginis in Deum dignitati Maternitatis tribuant, negari non potest, ipsam Deo fuisse gratissimam, sufficientemque gratificare, & sanctificare Virginis personam.*

605. Confirmatur secundò, quia Virgo sanctissima titulo Maternitatis fuit apud Deum Mediatrix potentissima, & Advocata, ita ut nullum sit beneficium, quod ejus impetrationi non debeamus, de quo sunt non tot, quin plura Sanctorum Patrum testimonia *Arnold. Carnot. tract. de laud. Virgin. D. Bonav. in Speculo cap. 8. Richard. de S. Laurent. cit. D. Petr. Damian. serm. 1. de Nativit. Virg. D. Idelphons. serm. de Purificat. & aliorum; sed eò persona aliqua est apud Deum intercessione validior, quò ejus benevolentia est charior; ergo si Virginis intercessio, titulo Maternitatis, est apud Deum validissima; non potest non eodem titulo, & dignitate esse ipsi Deo charissima; consequenterque est sanctificans Virginem.*

606. Confirmatur tertio, quia ratio à priori mutui amoris inter filios & parentes, est unitas & identitas naturalis, & moralis inter ipsos, ut ait *Tull. orat. 3. in Verrem. Aristotel. 3. Ethicor. & patet ex l. syn. C. de inst. impub. & cap. Contradixi. §. Hac auctoritate 35. quest. 3. sed hæc unitas, & identitas, quæ inter alios filios, & parentes intercedit, fuit inter Christum, & Mariam arctissima, ut patet ex dictis, & docet *D. Aug. hom. 4. de Assumpt. D. Petr. Damian. serm. 2. de Nativit. Arnold. Carnot. tract. de Laudib. Virgin. ergo arctissimum est inter Virginem, & Deum amoris vinculum ratione Maternitatis, & Filiationis.**

607. Dicent 1. Hunc Maternitatis, & Filiationis titulum solo affectu naturali, non autem supernaturali, quem vendicat dignitas sanctificans, unire Christum, & Matrem, Sed contra primò, quia Sancti Patres cit. non solum amorem naturalem, sed etiam supernaturalem huic titulo antecedunt; siquidem *D. Aug. unitatem Christi, & Matris componit cum unitate gratiæ habitualis: D. Petr. Damian. illam præfert unioni, quæ Deus inest reliquis Justis: & Arnold. Carnot. ergo unitate carnis colligit unitatem charitatis, & spiritus; ergo non de solo affectu naturali, sed etiam supernaturali locuti sunt.*

608. Secundò, quia Mater tota fertur in Filium, & Filius totus in Matrem juxta dignitatem, & amabilitatem Maternitatis, & Filiationis; sed Maternitas, & Filiationis est supernaturalis, & amabilis non solum amore naturali, sed etiam supernaturali; ergo utraque seorsim fert, & allicit amorem supernaturalem. Tertio, quia amor, quo Virgo diligitur à Justis, quæ Mater Dei est, & quo Christus diligitur, quæ Filius Virginis est, potest esse supernaturalis, & salutaris in vitam æternam; ergo à fortiori potest, & debet esse supernaturalis amor, quo uterque vicissim diligitur, quæ Mater, & Filius est.

609. Dicent 2. Mutuum benevolentia amorem dignitatis sanctificantis proprium versari inter hominem, & Deum, quæ Deum; dignitatem verò Matris solum ferre amorem creatum Filii, quæ hominis, non autem increatum, quæ Dei: & Filium tantum quæ hominem, non autem quæ Deum allicere

Tom. 2.

Matris amorem. Sed contra primò, quia amor Christi creatus omnino erat conformis increato; siquidem in solam honestatem, & bonitatem amore increato dignam ferebatur. Item Virgo diligebat Christum quæ Filium, & subsistentem in Personalitate divinâ, utpote non solum hominis, sed etiam Dei vera Mater; ergo quæ Mater non solum ferebat amorem creatum Filii, sed etiam increatum; neque solum ferebatur in ipsum quæ hominem, sed etiam quæ Deum. Secundò, quia ut docet *Caiet. 2. 2. quest. 103. art. 4. ad 2. inter Christum quæ hominem, & Matrem fuit vera consanguinitas; inter Matrem verò, & Christum quæ Deum fuit vera affinitas; sed affinitas, sicut consanguinitas mutuum conciliat amorem; ergo mutuus amor Christi, & Virginis quæ Filii conciliabatur etiam divinitate.*

610. Probatur nonò ex jure ad gloriam propriæ gratiæ sanctificantis; quia jus condignitatis ad gloriam est proprium dignitatis, sive gratiæ sanctificantis; sed tale jus competit dignitati Matris Dei; siquidem tota ratio condignitatis justorum ad gloriam ratione gratiæ habitualis revocatur à Theologis in participationem, & assimilationem deitatis, quam secum fert gratia habitualis; hanc autem altiore secum fert dignitas Maternitatis Dei, ut supra diximus à num. 598. ergo dignitas Matris Dei est sanctificans Virginem.

611. Confirmatur primò, quia bona filiorum jura naturæ sunt obnoxia juri, & potestati parentum propter unitatem, & identitatem, quæ inter utrosque intercedit, ut supra diximus, (quidquid sit de jure positivo in filiis emancipatis;) sed Filius Virginis naturâ nanciscitur æternam felicitatem, & gloriam; ergo ejus Mater etiam ad illam jus obtinet. Secundò, quia Dei Matri competit verum, & proprium dominium in omnia bona creata, tam naturalia, quam supernaturalia, non solum in terra, sed etiam in cælo, ut supra diximus à num. 586. atqui hoc dominium stare non potest absque jure obtinendæ gloriæ; cum hæc etiam subiaceat tali dominio, & inter Filii bona sit primum bonum; ergo Mater Dei titulo Maternitatis habet verum, & proprium jus ad gloriam.

612. Confirmatur tertio, quia id suadet ipsa naturalis ratio, & terminorum apprehensio; siquidem nullus erit, qui credat, posse Matrem Dei perpetuò exulare à regno Filii, & eam, quæ suis visceribus clausit Filium Dei, uberibus lactavit, portavit brachiis, officiis maternis fovit, & in omnibus ipsius laboribus comitata est, participem non esse cum ipso gloriæ cælestis; clausamque esse Matri Dei cælestem illam Hierusallem, quæ servis patefacta est; cui enim non dissonat, divisos esse in gloria, qui tot amoris vinculis, & obligationibus sunt conjuncti; ergo &c. Quarto autoritate Sanctorum Patrum, qui solo Matris titulo utuntur, ut bona Filii, ejusque gloriam Virgo possideat jure proprio, inter quos sunt *D. Damascen. orat. 2. de Assumpt. D. Athan. serm. de Deipara. Rupert. in Cant. 4. D. Idelphons. serm. 2. de Assumpt. D. Bonav. in Speculo cap. 6. & 7. & 9. D. Epiphani. de Laudib. Virg. D. Thom. à Villa-Nova serm. de Assumpt. qui omnes sentire videntur, titulum Maternitatis Dei cum jure ad gloriam esse conjunctum; ergo &c.*

613. Probatur decimò ex sanctificatione, aliisque prerogativis corpori Deiparæ concessis. Primò, quia Maternitas Dei sanctificavit corpus virginicum; siquidem hoc prædicatur sanctum, seu sanctificatum à Sanctis Patribus, ut à *D. Fulgent. serm. de duplici Christi natur. D. Hieron. tomo 9. epist. de Assumpt. Virg. ad Paul. & Eustoch. Synod. 6. general. Ss 2. action. 28.*

adion. 28. D. Damasc. lib. 4. de Fide orthodoxa, cap. 15. D. Petr. Damian. serm. 3. de Nativit. Richard. de S. Laurent. lib. 3. de Laudib. Virgin. tit. Caro Virginis, & alii; ergo etiam sanctificavit animam & personam Virginis: tum quia ita significare videtur D. Greg. Nyssen. orat. de Nat. Domini: tum etiam, quia sanctitas magis propria est animæ, quam corporis; ergo si corpus virgineum seorsim à gratiâ habituali habebat sanctum dignitate Maternâ Dei, à fortiori sancta erit ipsius anima.

614. Confirmatur primò, quia Sancti Patres proximè citati sanctitatem corporis cum animæ sanctitate conjungunt, eandemque gratiam dicunt non solum mentem, & animam, sed etiam ventrem, & corpus sanctificare; atqui corpus non fuit sanctum ex gratiâ habituali omnibus justis communi, sed ex Maternitate Dei; ergo etiam mens & anima ex eadem Maternitate erit sancta. Secundò, quia cum Corpus Christi proponitur Unione Hypostaticâ sanctum ab Ecclesiæ Patribus, rectè colligitur, animam à fortiori sanctam existeri ab eadem Unione Hypostatica; ergo etiam similiter bona erit collatio sanctitatis animæ Virgineæ per Maternitatem Dei ex corporis sanctitate, quam eidem corpori Patres adscribunt. Tertiò, quia hæc corporis virginei sanctitas denotat specialem Dei complacentiam, quam præ aliis fert corpus virgineum; sed ratione Maternitatis Dei aptior est anima quam caro adferendam istam specialem Dei complacentiam, utpotè quæ fuit confors & princeps causa officiorum maternorum, quæ corpus virgineum Filio Dei ministravit; ergo ea corporis sanctitas indivisa fuit à sanctitate animæ ferente specialem Dei complacentiam.

615. Secundò deducitur eadem probatio ex prærogativa Virginitatis debitâ Maternitati Dei: quia Maternitati Dei debetur integritas carnis; siquidem quotquot Sancti Patres causam Virginitatis Deiparæ tuentur, indignam dicunt, fore Matrem Dei, quæ purissima non esset, probrosamque Filio Dei, carnem sumere ex carne impurâ, & alieno semine contaminatâ; ergo etiam ei debetur integritas, & puritas mentis; sed hæc est effectus formalis proprius sanctitatis; dignitas autem, cui debetur effectus formalis sanctitatis, non potest non esse sanctificans, ut sæpius diximus; ergo dignitas Maternitatis Dei erit sanctificans.

616. Probatur prima consequentia, quæ sola indiget probatione: Primò, quia magis exosa, magisque injuriosa est Filio Dei impuritas, & corruptio mentis, quam ventris; sed titulo majestatis, & dignitatis prolis concipiendæ, debetur Matri Dei puritas, & integritas ventris; ergo æquali, si non majori jure debebitur ei puritas, & integritas mentis. Secundò quia virginitas debita Deiparæ ex testimonio Sanctorum Patrum non solum est materialis, & externa, sed etiam formalis, & interna, id est, ipsa virginitatis virtus in animo residens, & perseverans; atqui hæc connexa est cum sanctitate permanente, & habituali; siquidem absque hæc non potest ulla virtus infusa perseverare præter fidem, & spem; ergo Maternitas Dei connexa cum virginitate, simul etiam connexa est cum sanctitate habituali.

617. Tertiò, quia Sancti Patres utramque integritatem mentis, & corporis mutuo connexas docent, & alteram ex altera arguunt, ut D. Amb. lib. 2. de Virginit. D. Leo Papa serm. de Immunit. Domin. D. Aug. lib. de quinq. hæres. cap. 5. Gerson. serm. de Concept. siquidem cum proles concipienda simul divina, & humana sit, consequens arbitrantur,

quod si corpus respiciens prolis humanitatem, debet esse integrum, & incorruptum, animus etiam divinitatis sedes integer, & incorruptus sit; neque enim Virgo posset pro dignitate humanitati prolis corpus suum occupandum præbere, nisi etiam divinitatem ipsam mente conciperet.

Quartò deducitur eadem probatio ex corporis incorruptione, & illius in caelos assumptione: quia communis fidelium Patrum, & Theologorum firmissimus consensus tenet, corpus virgineum titulo Maternitatis Dei fuisse corruptionis immune, & æternâ in caelis incorruptibilitate donatum; quatenus indignum arbitrantur, ut corpus, ex quo Filius Dei carnem sumpsit, fieret vermibus esca, & putredini obnoxium; sed magis dedecet Matrem Dei corruptio peccati, quam carnis; ergo ejusdem Maternitatis titulo debebat illius anima esse immunis à corruptione peccati.


Confirmatur primò, quia si Maternitas Dei esset peccati socia, non posset ejus corpus à corruptione liberari; siquidem ratione peccati etiam corpus esset pœnis corruptionis, aliisque ignominiiis subiectum; ergo sicut Maternitas Dei digna est, quæ à corpore removeat corruptionem, ita etiam digna erit, ut eandem removeat ab animo, quod est proprium dignitatis sanctificantis. Secundò, quia remotiores sunt à Maternitate Dei sordes peccati, & tenebræ culpæ, quam ignorantia tenebræ; sed plures Patres, & Theologi removeant à Virgine Maternitatis nomine tenebras ignorantia, quatenus ei concedunt scientiam naturalem, & infusam; ergo à fortiori ab eâ removeare licebit tenebræ culpæ.

Dicent primò, superiores prærogativas fuisse debitas Maternitati solum ex congruitate; siquidem specialis, & novus Dei favor fuit illas Maternitati adjungere. Sed contra, quia nullum est fundamentum negandi Maternitati Dei condignitatem ad tales prærogativas: tum quia Ecclesiæ Patres eas illi absolutè debitas, & morali jure annexas ostendant: tum etiam, quia non obstantè novo illo Dei favore, stare cum eo potest condignitas moralis Maternitatis Dei ad sibi vendicandas prædictas excellentias; siquidem etiam remissio peccati, filiatio adoptiva Dei, & obligatio meritorum ad remunerationem gloriæ non contingunt gratiæ habituali absque novo Dei favore, prout supra supposuimus; & tamen gratiæ habituali debentur morali condignitate; ergo novus Dei favor non arguit defectum condignitatis.

Dicent secundò, puritatem mentis ex præfatis prærogativis illatam non convenire Maternitati Dei immediatè ratione sui, sed mediatè ratione gratiæ habitualis ipsi adjunctæ; sicque non rectè probari, ipsam Maternitatem esse sanctificantem. Sed contra primò, quia puritas mentis illata ex superioribus prærogativis arguitur ex immediata exigentia Maternitatis; ergo etiam ex immediata ipsius sanctitate, cujus est proprium exigere immediatè talem puritatem. Secundò, quia ad sanctificationem Maternitatis Dei sufficit vindicare de condigno gratiam habitalem sanctificantem; siquidem ea ratione constituitur radix totius ordinis supernaturalis, quæ à gratiâ sanctificante indivisa est; ergo &c.

SECTIO XXX.

Proponuntur, & dissolvuntur argumenta in contrarium adducta.

622.  ARGUES 1. Luc. II. ibi: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, qua suxisti. Quinimo Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: Ubi Christus Dominus videtur repellere beatitudinem, quæ in solâ Maternitate consistit, & illi præferre beatitudinem iustorum, qui ejus præceptis, & consiliis obediunt. Et Mat. 12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est: Ubi etiam repulit Maternitatem naturalem, eique anteposuit moralem omnibus iustis communem, quæ in adimplenda Patris voluntate constituta est; atqui si Virginis anima esset sancta Maternitate solâ, sicut sancta est gratiâ habituali omnibus iustis communi, non esset, cur Christus Maternitatis beatitudinem repudiaret, eique præferret beatitudinem gratiâ custodientium legem Dei; ergo in solâ Maternitate Dei nulla est animæ sanctitas eam sanctificans.*
623. Respondeo primò cum P. Maldonat. ad loca cit. contra Calvinum, verba Christi Domini ex communi Sanctorum Patrum sensu non esse intelligenda *adversativè*, ita ut Christus repudiet laudem Maternitatis, sed *comparativè*, quasi dicat, felicissimum quidem est Deum parere, & lactare, sed illud felicius Dei monitis, & præceptis obedire, ac propterea ei placere. Undè argumentum ad summum probat in gratiâ habituali superiorem sanctificandi perfectionem, non tamen illam negat dignitati Maternitatis Dei.
624. Respondeo secundò cum P. Soar. *tom. 1. in 3. p. d. 1. sect. 2. §. Ut respondeamus.* & P. Ripal. *tom. 2. d. 79. num. 106.* conjunctionem maternam Virginis cum Filio dupliciter considerari posse: primò cum ipso quâ homine, præcendendo à Deitate, & Personalitate divinâ; & sic prætulit Christus conjunctionem spiritualem iustorum cum Deo per gratiam conjunctioni purè naturali maternæ: Secundò cum ipso quâ Deo completente Deitatem, & Personalitatem divinam; & sic dicimus conjunctionem maternam cum Christo, quæ ad ordinem supernaturalem, & Unionis Hypostaticæ spectat, Virginemquæ verè non solum hominis, sed etiam Dei Matrem constituit, esse altiore conjunctione spirituali iustorum, & verè sanctificantem asserimus.
625. Respondeo tertid Christum Dominum conferre opus naturale gestandi ipsum in utero cum opere morali custodiendi verbum Dei, & exequendi voluntatem Patris in ratione bonitatis moralis, & meriti; & sic hac ratione præferre custodiam legis divinæ, & executionem Voluntatis Paternæ operi pariendi, & gestandi Filium Dei in utero; siquidem hoc opus quâ naturale fuit, & necessarium Virgini, nullius bonitatis moralis, & meriti erat, sicut est opus morale custodiendi, & exequendi legem, & voluntatem Paternam: non autem conferre dignitatem habituales Matris cum habituali iustorum; sic enim potuit dignitas Matris Dei esse superior dignitate iustorum, licet aliqua ejus dignitatis ministeria naturalia, omnidò necessaria, & libertatis expertia, essent morali bonitate, & merito pluribus iustorum operibus inferiora.
626. Argues 2. D. Aug. lib. de Virginit. cap. 3. *Beatior*

ait, *Maria fuit percipiendo legem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Et cap. 5. Hinc, inquit, & Maria laudabilis, & beatus Mater est Christi, quia fecit voluntatem Patris ejus, qui in caelis est; sed ex his videtur digniorem existimare Maternitatem spiritualem omnibus iustis communem, quàm Maternitatem Virgini peculiarem, & præptiam; ergò dignitas Maternitatis naturalis Dei non est par cum dignitate gratiæ sanctificantis communis omnibus iustis. Respondeo D. Aug. intelligendum esse de Maternitate Dei in eo sensu, in quo illam explicavimus num. 624. & 625.*

Argues 3. Plures ex Sanctis Patribus crediderunt Deiparam fuisse obnoxiam peccato originali; sed dignitas sanctificans de facto cum nullo peccato componitur; ergo Maternitatis dignitas non est sanctificans. Respondeo primò, raros esse Ecclesiæ Patres, qui disertè Deiparam originali labe infectam tradiderint; innumeros autem, qui eam præservatam testati sint titulo Maternitatis Dei, ut latè, & eruditè ostendunt P. Soar. P. Vasq. P. Salazar, & alii. Imò neque contraxisse debitum proximum passivum peccati originalis, diximus in *Met. tr. 1. d. 2. à num. 485.*

Respondeo secundò, datâ, & non concessâ majori, concessâ minori, negando consequentiam; ratio est, quia dignitas Maternitatis Dei non erat Virgini actu præsens, sed solum futura in primo instanti conceptionis, in quo originale contrahitur, sicque non poterat eam liberare à peccato, à quo subiectum non liberat dignitas sanctificans pro instanti, in quo ipsum subiectum actu non afficit: at verò pro tempore, in quo Virgo extitit Mater Dei, & Filium concepit, nullus Patrum eam peccato obnoxiam admisit, neque secundum fidem admittere fas est; siquidem ex Evangelio constat, ipsam tunc gratiâ plenam extitisse; neque solum pro eo, & sequenti tempore, sed etiam pro antecedenti omnes eam immunem fatentur à peccato titulo tantum Maternitatis Dei futuræ, cum omnes post primum Conceptionis instans asserant fuisse in utero sanctificatam.

Imò hinc optimè colligitur, majorem oppositionem moralem cum peccato, propriam dignitatis sanctificantis, fuisse in ea Maternitatis dignitate, quàm in gratiâ habituali; siquidem titulo gratiæ habitualis futuræ, neque de congruo liberat Deus, & à peccato liberam conservat animam; sic autem liberam à peccato conservavit animam Virginis solo titulo Maternitatis Dei futuræ.

Argues 4. Hæc sententia asserens sanctificationem Maternitatis Dei, est contraria communi Theologorum consensui; sicque temerè asseritur, cum nullus eorum huic assertioni suffragetur; ergo &c. Respondeo hanc sententiam non esse positivè contrariam communi Theologorum consensui, licet præter illum sit, cum rari sint, qui in hanc quæstionem inciderunt, & in ea tulerunt suffragium. Ex antiquis, qui illam attigerunt, manifestè ei favorunt *Albert. Magn. D. Antonin. & Bachon. apud P. Ripal. tom. 2. d. 79. num. 108.* Ex Recentioribus, qui oppositum asseruerunt, fundantur in principiis probabilibus, quibus gratiæ sanctificantis tribuunt repugnantiam physicam cum peccato, & jus ad gloriam seorsim à novo Dei favore; nos autem cum pluribus Theologis supposuimus, solam moralem oppositionem cum peccato, & connexionem moralem cum gloria dependentem à novo Dei favore, esse propriam gratiæ sanctificantis, quibus principiis suppositis, forsitan aliud nobiscum sentirent. Undè hæc sententia ab omni temeritate